

§. III. Patet autem ex hac inscriptione, hanc cautionem non ab omnibus eodem modo præstari; sed alios satisfaciendo, alios jurejurando, alios vero nude promittendo cavere. Satisfactionem regulariter omnes, qui excepti non inveniuntur, præstare tenentur; & ad hanc regulam priora pertinent inscriptionis verba: *Qui satisfacere cogantur.* Ab hac regula excipiuntur, & jurato promittunt VIRI ILLUSTRES, l. 17. Cod. de dignit. ac novo jure EGENI, qui idoneos fidejussores invenire nequeunt. Nov. 112. cap. 2. Nov. 134. cap. 9. Et ad hos spectant media Rubricæ verba: *vel jurato promittant.* Denique etiam excipiuntur IMMOBILIUM POSSESSORES; qui suæ promissioni committuntur, secundum ultima inscriptionis verba: *vel suæ promissioni relinquuntur.*

§. IV. Specialis Legis nostræ inscriptio, quæ hæc est: *Macer. lib. 1. de Appellationibus.* & Autorem, & Librum, ex quo ipsa deprompta, ostendit.

§. V. Est autem HVIUS LEGIS AVTOR, ÆMILIUS MACER, Jctus admodum elegans & tersus. Floruit sub Alexandro Severo, optimo illo & æquitatis amantissimo Principe. Eum Ulpiano aliquantum fuisse juniorem, apparet ex l. 68. ff. ad L. Falcidiam, in qua Ulpiani autoritate utitur, ejusque formam quandam computationi in alimentis faciendæ præscriptam refert. Libros condidit militarium duos, publicorum duos, de officio Præsidis & de appellationibus totidem, aliosque quamplures, referente id Nicolao Henelio, in *comment. de veteribus Jctis. 1.*

CAPVT II.  
**TERMINORVM EXPLICACIONEM EXHIBENS.**

§. I. Pri-